





17.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

*D E*

**EFFECTV  
POENITENTIAE,  
ET IN CIVILIBVS ET IN  
CRIMINALIBVS CAVSIS,**

*QVAM*

*DEO T. O. M. ADNUENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*

**DOMINO CAROLO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*EX DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS*

*PRAESIDE*  
**DN. JACOBO FRIDERICO  
LUDOVICI,**

J. U. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

*PRO LICENTIA*

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

*in Auditorio majori horis ante- & pomeridianis*

*d. Maji. A. R. S. MDCCXV.*

*PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT*

**IOHANN. SIGMUND SCHÜZ,**  
MEMMINGA SVEVVS.

HALAE MAGDEB. Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
S. R. I.

ILLVSTRIS AC LIBERAE  
REIPVBLICAE MEMMINGENSIS  
ORDINI SENATORIO,  
VIRIS  
GENEROSIS, MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS,  
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, MVLTARVM  
RERVM PRVDENTIA AC EXPERIENTIA VNDI-  
QVAQVE CELEBERRIMIS  
CONSVLIBVS,  
PRÆTORI,  
SECRETIORIBVS,  
SYNDICO, ceterisque  
SENATORIBVS, &  
CONSVLENTI,  
DOMINIS PATRONIS AC PRO-  
MOTORIBVS SVIS BENI-  
GNISSIMIS,

Disputationem hanc solennem in devoti obsequii & gratæ mentis tesseram  
cum voto perennaturæ prosperitatis consecrat

IOH. SIGMVND SCHÜTZ,



Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
EFFECTV POENITENTIAE ET IN  
CIVILIBVS ET IN CRIMINALIBVS  
CAVSIS.

CAPVT I.  
DE CONCEPTV POENITENTIAE.

CONTENTA HVIVS CAPITIS.

**V**ocabulum poenitentiae apud Theologos & Ictos alium atque alium habet significatum, §. I. poenitentia in sensu theologico accepta, cum subiuncta quaestione: an executio propterea intermitienda sit, si delinquens seriam poenitentiam agere non vult? §. II. quid Icti sub vocabulo poenitentiae intelligant? §. III. poenitentia est vel voluntaria, vel per modum poenae imposta. Poenitentia publica & occulta. Poenitentia deargentata. Poenitentia Pfarre / §. IV. poenitentia voluntaria vel est mutua, vel solitaria, §. V.

## §. I.



E effectu pœnitentiæ in iure com-  
mode agere non possumus, nisi an-  
te liquido constet, quid per pœni-  
tentiam intelligamus. Cum ve-  
ro vocabulum pœnitentiæ & apud  
Theologos & apud Ictos occur-  
rat: iterum de conceptu pœni-  
tentiæ liquido constare non po-  
test, nisi pœnitentiæ significatum in sensu theologico  
ab illo probe distinguamus, quem apud Ictos istud vo-  
cabulum habet.

## §. II.

In sensu *theologico* pœnitere & pœnitentiam agere  
nihil aliud est, quam *respicere, ad frugem redire, vitia*  
*virtutibus emendare ad Deum Christumque converti, Buisse*  
*thun/* qui significatus in ecclesia receptus quidem, sed  
tamen a priscorum sermone alienus est, teste B. Cella-  
rio in *Anti-Barbar. cap. IV. voc. pœnitentiam agere*. Inter  
Theologos diuersis religionibus addictos plurimæ hic  
intercedunt controuersix, non solum de genere pœni-  
tentiæ & an illa pro sacramento haberi debeat, sed et-  
iam de ipsius partibus, quarum duas solum statuunt  
Euangelici, contritionem & fidem, alii vero satisfactio-  
nem adhuc superaddunt; verum quia discussio harum  
controuersiarum non pertinet ad cathedram Iuridicam,  
hinc illis quoque non immorabimur. Thefin & antithe-  
fin beneuolus lector deprehendet in Theologi vere do-  
cti Iohannis Gerhardi *confess. Cathol. l. 2. part. 3. c. 1. seqq.*  
add. Frider. Spanhemius in *dub. euangel. part. 3. dub. 11. Hæc*  
*inte-*

interim quæstio a scopo nostro forte non erit aliena: *quid scilicet agendum sit, si reus ad mortem damnatus pœnitentiam agere, peccata sua agnoscere & ad gratiam Dei ac meritum Christi confugere nolit?* quæritur, an pœna plane remittenda, an vero saltem ad tempus aliquod differenda sit? Tetigerunt hanc quæstionem jam olim Carpzouius *prax. crim. qu. 137. num. 46.* & Brunnemannus *proc. inquis. c. 10. num. 16.* quorum opinioni nos in præsentī etiam subscribimus. Scilicet, pœnæ remissionem delinquens ex capite illo obtinere nequit, quoniam alias quilibet maleolus hac ratione a pœna promerita sese liberare & iudicium eludere posset, quod maximam absurditatem & iniquitatem saperet. Ergo per aliquot dies quidem executio suspendenda erit, vt ministri verbi diuini interim omnibus modis laborent, quo ad veram & seriam pœnitentiam delinquens adducatur; quod si tamen nulla conuersionis spes adpareat, supplicium de eo nihilominus sumendum erit. Præjudicium adducit Carpzou. *loc. cit. num. 48.*

## §. III.

Pœnitere in sensu *juridico* dicimur, cum quæ ipsi fecimus, ea nobis post displicere incipiunt & molesta esse. Ita Simon Schardius in *Lex. jurid. voc. pœnitere*. Ita etiam iisdem prorsus verbis Iohannes Calvinus in *Lex. voc. pœnitere*. Pœnitentia itaque est mutatio voluntatis circa ea, quæ nobis antea placuerant & dissensus intuitu eorum, in quæ ab initio consenseramus. Hinc dicitur, quod testamenta, donationes mortis causa & similes pœnitentia reuocentur. Ex multis aliis in præsentī vnum saltem locum adducam, qui meo quidem iudicio rem non parum illustrabit. Habetur ille in *l. 32. §. 2. & 3. ff. de donat.*

*int. vir. & vxor. Ait oratio, sunt verba Vlpiani, fas esse, eum quidem, qui donauit, pœnitere: heredem vero eripere forsitan aduersus voluntatem supremam eius, qui donauit, durum & auarum esse. Pœnitentiam, perguit in §. 3. accipere debemus supremam. Proinde si uxori donauit, deinde cum pœnituit, mox desit pœnitere, dicendum est, donationem valere, vt supremum ejus spectemus iudicium: quemadmodum circa fideicommissa solemus, vel in legatis, cum de doli exceptione opposita tractamus, vt sit ambulatoria voluntas ejus usque ad vitæ supremum exitum. Addam adhuc verba §. 4. sed vbi semel donatorem pœnituit, etiam heredi reuocandi potestatem tribuimus, si adpareat, defunctum euidenter reuocasse voluntatem: quod si in obscuro sit, procliuor esse debet iudex ad comprobendam donationem. Plurima alia loca huc pertinentia collegit Barnabas Briffonius de verbor. signif. voc. pœnitentia, ubi incidenter notat, quod iuxta perpetuam Pandectarum Florentinarum scripturam non reperiatur pœnitentia, sed pœnitentia.*

## §. IV.

Pœnitentiæ, quam in §. preced. descripsimus, opponitur ea, quæ per modum pœnæ alicui imponitur. Eiusmodi pœnitentia in iudiciis ecclesiasticis non infrequens est. Illa vel est publica, quæ pro expiandis criminibus & delictis publicis imponitur iis, qui publice deliquerunt: vel est occulta, siue absconsa, quæ non in cœtu publico, sed in occulto, v.g. in propriis ædibus per jejunia, certas precum formulas, & similia pœragitur. Quod si quis pœnitentiam impositam erogatione pecuniæ in pauperes redimit, pœnitentia deargentata vocatur. In hoc sensu quoque parochiam, quæ paruos reditus habet, vocare solemus eire Pœnitentiæ Pfarre: satis pœnæ enim est, quan-



quando parochus delinquens a parochia lautos prouentus proferente ad talem translocatur & sic inuitus quoque parsimoniam studere compellitur. Conferatur de hoc poenitentiam significatu diuersisque poenitentiam ecclesiastica speciebus Carol. du Fresne in *glossar. ad scriptor. med. & infim. latinit. voc. poenitentia*; interim significatus ille in praesenti ad nos principaliter non pertinet.

## §. V.

Poenitentiam, prout mutatio prioris voluntatis describitur, v. §. III. est vel *mutua*, vel *solitaria*. *Illam* voco, quando vtraque pars eorum, qui in negotio aliquo interuenerunt, a priori voluntate recedit, atque ut res in priorem statum iterum reducatur, desiderat. *Hec* dicitur, quando altera pars negotio semel inito adhuc firmiter infistit ejusdemque consummationem & executionem vrget, altera vero consensum reuocat & hoc facto a negotio penitus recedere intendit, quod non raro in actibus quotidianis euenire consuevit. De vtraque nobis dicendum erit.

## CAPVT II.

DE EFFECTV POENITENTIAE IN CAV-  
SIS CIVILIBVS.

## CONTENTA HVIVS CAPITIS.

**P** *Er mutuan poenitentiam regulariter ab omni conuentione recedere licet, §. I. modo res nondum secuta, vel, si res adhuc integra est. §. II. quid in effectu inter utrumque casum intersit, si res secuta, vel non? §. III. Iure Romano sponsalia, imo ipsum matrimonium*

um mutua penitentia dissolui poterat, §. IV. annon jure divino etiam sponsalia mutua penitentia dissolui queant? §. V. primum argumentum Carpzovii pro negativa cum subiuncta responsione, §. VI. secundum argumentum ejusque resolutio, §. VII. tertium argumentum addita confirmatio-  
ne, §. IIX. confirmatur nostra sententia non solum autoritate B. Strykii, sed et ex jure civili atque canonico §. IX. nec non Theologorum orthodoxorum consensu, §. X. utile tamen est, ut cognitio judicis ecclesiastici precedat, §. XI. De unius penitentia in sponsalibus. Primus casus, si illa ex justa causa provenit, §. XII. alter casus, si ea ex mera malitia originem habet, §. XIII. A pactis nudis apud Romanos alter invito altero recedere poterat, §. XIV. Maffertii opinio, quod pacta nuda etiam apud Romanos perfectam obligationem produxerint. Ejus argumenta adducta refelluntur, §. XV. XVI, XVII, XVIII, et XIX. moribus tamen nostris a pacto nudo ex capite penitentiae recedere non licet, §. XX. tractatus non sunt pacta nuda, sed preliminarium contractuum, et sic apud nullas gentes exinde oritur actio, §. XXI. nec pacta foeminarum saxonicarum consensu curatoris destituta pro pactis nudis venditari possunt, §. XXII. apud Romanos alteruter contrahentium, qui ex sua parte contractum innominatum implenerat, ab eo ex capite penitentiae iterum recedere poterat, §. XXIII. quod moribus nostris secus est. Dissentit Carpzovius, §. XXIV. qui ex Carpzovio refutatur, §. XXV. A contractu societatis ex capite penitentiae recedere licet. Verus sensus Brocardici: communio est mater litium, §. XXVI. In contractu mandati locus est penitentiae et intuitu mandantis et mandatarii, §. XXVII. utrum in feudalibus vasallo facultas penitendi concessa, §. XXVIII. Casus specialis de filio, quem pater hereditatem adire jusserat, sed ante aditionem ipsum iterum penituerat, §. XXIX. Duo casus distinguuntur, an filius penitentiam patris resciverit, annon, §. XXX. Baldi distinctio, §. XXXI. quae tamen rejicitur et ad leges, quae obstare videbantur, simul responderetur. Mandans, postquam ipsum penituit, ex negotio a mandatario gesto non obligatur, si tamen mandatario de penitentia non constitit, mandans ad refusionem expensarum tenetur, §. XXXII. in reliquis negotiis inter vivos regulariter non est locus penitentiae, §. XXXIII. nisi contrahentibus per modum pacti aliud placuerit, ubi vom Reukauff, §. XXXIV. pactum hoc etiam iniuriu emptoris licitum est, §. XXXV. de pacto displicentiae, §. XXXVI. in actibus ultime voluntatis penitentia

tenue semper locus datur, §. XXXVII. *Casus specialis ex l. 22. pr. ff. de legat. 3. §. XXXIIX. donationes mortis causa & legata per poenitentiam donantis & legantis tolluntur, interdum e contrario per poenitentiam iterum convalidantur, §. XXXIX. an actor in processu ex capite poenitentiae priorem actionem deserere & novam offerre possit? §. XL. an post acceptationem delati juramenti deserens ex capite poenitentiae illud iterum renocare queat? §. XLI.*

## §. I.



Vod igitur mutuam poenitentiam primo adtinet: ex jure nostro notum est, ipsaque sana ratio hoc adstruit, quod ea interueniente regulariter ab omni conuentione recedere liceat. Scilicet vterque contrahentium ex inita conuentione jus quaesitum obtinuerat, postquam vero negotium vtrique displicet, quilibet juri suo renunciat atque adeo res in pristinum statum reponitur, vbi neuter alteri obligatus erat, conf. §. 4. I. quib. mod. toll. obligat. Pufendorff. de N. et G. l. 5. c. 11. §. 8. Vlpianus in l. 35. ff. de R. I. nihil tam naturale est, quam eo genere quidque dissoluere, quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissoluitur.

## §. II.

Interim in cit. §. 4. 7. quib. mod. toll. obligat. adfertio nostra restringitur ad eum casum, si res nondum secuta, vel, vt DD. communiter loquuntur, si res adhuc integra est, si v. g. in contractu emtionis & venditionis neque ex parte emtoris pretium solutum, neque ex parte venditoris res vendita tradita fuit. Ergo, si res jamdum est secuta, & ea vtrimque restituitur, non tam hoc agitur,

B

vt

vt a pristino negotio discedamus, quam vt nouæ quædam obligationes inter nos constituentur, *l. 58. in f. ff. de pact.* Distinguitur itaque inter nudam prioris contractus dissolutionem & inter obligationem de nouo contractam.

## §. III.

Audio hic quidem vocabula a se inuicem discrepantia, sed tota distinctio in nuda etiam vocabulorum contradistinctione subsistere & nullum effectum intuitu rei ipsius producere videtur. Quid enim, annon utroque casu prior obligatio dissoluitur, siue dicas, hoc fieri nudo dissensu, siue per constitutionem nouæ obligationis? ita videtur quidem, sed tamen res salua est. Quod si enim partes re adhuc integra a contractu iterum recedunt, ad solutionem gabellæ non obstringuntur, nisi forsitan statutum aliquod disponat, quod gabella ex solo contractu soluenda, licet ille per traditionem non fuerit consummatus; quod si vero res non amplius integra est & sic noua obligatio contrahitur, gabella ex utroque contractu debetur, conf. Brunnem. *ad l. 58. ff. de pact.* Pone alium casum ex iure statuario. In Saxonia traditio immobilium in iudicio fieri debet. Quod si nunc illa traditio semel facta, post interuenientem poenitentiam re traditio iterum in iudicio peragenda erit nouæque sportulæ soluendæ, quibus non fuisset opus, si partes re integra a contractu iterum recessissent.

## §. IV.

Iure Romano quondam sponsalia etiam & matrimonia mutua poenitentia, siue mutuo dissensu iterum dissolui poterant. Pertinet huc *l. 60. §. 1. l. 61. l. 62. pr. ff. de donat. int. vir. & vxor.* Diuortii causa donationes in-  
ter

ter virum & vxorem concessæ sunt: sæpe enim euenit, vt propter sacerdotium, vel etiam sterilitatem, vel senectutem, aut valetudinem, aut militiam, satis commode retineri matrimonium non possit, & ideo *bona gratia matrimonium dissoluitur*. Apud nos in praxi contrarium obseruatur, tam intuitu sponsalium, quam matrimoniorum consummatorum, & propterea in §. I. *huj. Cap.* dixi, mutua poenitentia *regulariter* ab omni conuentione recedi posse. Adest enim hic exceptio & Legislatori sine dubio permissum est, voluntatem contrahentium in nonnullis negotiis certo modo restringere, siue, vt cum Pufendorfio *de J. N. & G. l. 5. c. 11. §. 8.* loquamur, quin lege positua in certo negotiorum genere interdici possit, ne, quod semel placuit, etiam re integra displiceat, dubium non est.

## §. V.

Intuitu matrimonii consummati non solum prohibitio legis posituæ humanæ, sed etiam diuinæ adest, propter expressum textum *Matth. 19. vers. 6. quod Deus conjunxit, homo non separet*. Quæritur autem: vtrum hæc prohibitio etiam ad sponsalia adplicari possit? Adfirmant quæstionem nonnulli & inter eos Carpzouius *in Jurisprud. eccles. siue Consistor. l. 2. Def. 173.* nobis vero, quod cum pace dissentientium dictum sit, negatiua magis se probat. Adponamus ergo rationes Carpzouii nostramque responsonem paucis subjungamus.

## §. VI.

Principale argumentum, quo vtitur Carpzouius desumptum est ex textu modo adducto *Matth. 19. vers. 6.* quod scilicet homo ea separare non debeat, quæ Deus conjunxit. Verum enimuero proxime antecedentia hic

sunt jungenda & tunc responsio per se patet. Ita vero *loc. cit.* in proxime præcedentibus *vers. 5. & 6.* Et dixit, propter hoc dimittet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro, & tunc statim subjungitur: quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. Hic evidentissime adparet, Saluatorem non de solis sponsalibus, sed de ipso matrimonio per copulam carnalem consummato locutum esse. Faterur hoc ipse Carpzouius *loc. cit. num. 6.* & nihilominus tamen sibi ipsi contradicens textum ad solos desponsatos extendit.

## §. VII.

Pergit Carpzouius *num. 9. & 10.* Ac certe, inquit, res pessimi esset exempli, si mutuo partium dissensu a sponsalibus publicis rursus discedere licitum esset, siquidem inuocatio nominis diuini, quam in sponsalibus etiam adhiberi nouimus, plane ludibrio haberetur, vinculum legitimum absque iusta & sufficiente causa dirimeretur & scandalum non leue aliis præberetur, quod maximopere est euitandum, nec res pessimi exempli in Republica bene constituta ferenda. Respondeo, inuocationem nominis diuini in plerisque contractibus adhiberi, imo Notarios lege publica adstringi, vt in instrumentis super contractibus aliisque negotiis confectis illam inuocationem adhibeant, & tamen nullum est dubium, quin etiam ab eiusmodi contractibus vtrique contrahentium bona gratia discedere liceat. Si qua profanatio nominis diuini occurrit: ea a iudice poena arbitraria coerceri potest & tunc cessabit scandalum. Ad do & hoc. Poenitet vtrumque desponsatorum & hinc a sponsalibus recedere volunt: iudex renuit & desponsatos ad consummationem matrimonii compellit. Ad est

est alienatio animorum: sequuntur inter conjugatos rixæ, contentiones, infaustæ voces: struuntur insidiæ vitæ, propinantur venena, & ita porro: certe majus exinde scandalum oritur, quam quod ex dissolutione propter mutuam poenitentiam metuendum fuisset.

## §. IIX.

Addit et hoc Carpzovius *d. l. num. 11. et 12. sponsalia non minus, ac matrimonium consummatum diuinam et indissolubilem conjunctionem esse, cum Apostolus etiam dicat 1. Corinth. 7. vers. 10. uxor a viro non discedat, vir uxorem non dimittat; verum hic recurrit prior responso, Apostolum non loqui de desponsatis, sed de conjugibus in matrimonio consummato viuentibus, & hinc reliqua a Carpzouio adducta perunt id, quod est in principio.*

## §. IX.

Ne putes vero, hæc esse heterodoxa & a nobis demum inuenta animo reprehendendi & corrigendi alios. B. Strykius *in tract. de dissensu sponsalitiu* hæc jam olim defendit. Adponamus verba ejus *ex sect. 3. §. 23.* Ut ergo, inquit, ad rem accedamus propius, *sponsalia quibuscunque etiam verbis contracta mutuo dissensu dissolui posse, nulli dubitamus, cum nullum aliud vinculum hic subfit, quam conuentionis, quod obligandi efficaciam ex sola partium voluntate habet, ut hinc nihil vetet, quo minus juri suo renunciare possint. Neque enim huic facultati mutua voluntate a sponsalibus discedendi resistit jus nature, utpote, quod quidem turpe æstimat, datam fidem fallere: verum hoc eo saltem tendit, ne unus a pacto sponsalitiu inuito altero discedat: quod si neutra pars implementum pacti desideret, fidem, quam remiserunt aperte, fefellisse dici non potuerunt. Nec resistit jus civile ob l. 1. C. de sponsal. Nec jus Canonicum, utpote quod in c. præ-*

*zereca. 2. X. de sponsal.* hunc diffensum clare adprobat, de diffensu enim utriusque Pontificem illic agere, probavit Guttierrez *de matrimon. c. 24. num. 3.* nec ad sponsalia de futuro, prout in nostris Consistoriis ex omnium confessione capiuntur, hic textus restringi salua verborum ratione potest. Quoad *jus diuinum posituum* idem probat B. Autor in §. 24. *seqq.* ibique alia nonnulla dubia leuiora, quæ nos non tetigimus, remouet.

## §. X.

Hanc quoque nostram sententiam alii non modo ICti, sed etiam Theologi orthodoxi amplexi sunt, inter quos est Gerhardus *loc. de conjug. §. 168. in fin.* qui arctissimum illud conjugii vinculum ex vnitæ carnis (quæ intuitu desponsatorum cessat, aut cessare debet,) deducit. Hauemann. *Gamolog. Synopt. l. 1. tit. 1. posit. 6. & tit. 13. posit. 1. num. 4.* Joh. Kirzel *in synops. matrim. c. 8. th. 11. lit. D.* Bucer. *de regn. Christi c. 19.* Brouwer. *de jur. connub. l. 1. c. 25. n. 56. seqq.* quos & alios plures v. apud Strykium *d. scē. 3. §. 22. 37. & 38.* Reuera huc etiam inclinat Schilter *instit. jur. canon. l. 2. tit. 10. §. 51. 52.* & aliquoties in Consistorio Electorali Brandenburgico, quod Berolini est, dimissos esse desponsatos utrimque hoc desiderantes, testatur idem Stryk. *loc. cit. §. 38. i. fin.*

## §. XI.

Interim, ne minima occasio scandali ex eiusmodi dissolutione sponsalium oriri possit, laudatus B. Autor *loc. cit. §. 36.* existimat, causæ cognitionem in Consistorio præcedere & Consistorium, si causa mutui repudii alicujus momenti esse non videatur, desponsatos monere debere, ne a fide data discedant facile, concessio deliberandi spatio, an forsan interim ad aliam mentem sint reuersuri. Quod si vero tanta animorum auersio in despon-



desponsatis reperiatur, ut conciliatio sperari neutiquam possit; tunc secessio eorum in patientia tolerari debet. Adde Responsum Facultatis juridicæ Hallensis de A. 1698. Mens. Novembr. *loc. cit.* §. 42. adductum.

## §. XII.

Progredimur jam ad casum de *pœnitentia unius partis*. Hic pro regula quidem tenendum est, alterum invito altero a conventionem semel rite inita recedere non posse, quoniam alteri ex promissione semel facta jus quæsitum est; interim tamen & hic quædam exceptiones notari debent. Continuabimus primo materiam de sponsalibus. Hic duo casus separandi. Aut enim unius pœnitentia ex *causa justa* provenit, aut vero ex *mera malitia*. Priori casu effectum dissolutionis sponsalium pœnitentiæ tribuunt, quando tales circumstantiæ superuenerunt, quæ omnem amorem inter desponsatos penitus tollunt, nec etiam reconciliatio a Consistorio intentata locum habere potuit. Tales circumstantiæ sunt, si alter desponsatorum post sponsalia membro quodam mutilatus, v. g. si nasum, vel oculum amiserit, claudusue factus fuerit, quæ & alia exempla de lepra, paralyti, &c. adducuntur in *c. 25. X. de iurejur.* Adplicatur hic vulgatum illud: consensus non extendi ad ea, de quibus probabiliter non fuit cogitatum, & adposite hic Carpzovius *in jurispr. consist. l. 2. def. 176. num. 14.* quod tanto facilius adruendum, inquit, quanto certius iudici manus constrictas haud esse, quo minus ex arbitrio rumpere sponsalia possit, si malum inde veniens animadvertat. Quod certe hoc in casu vix satis deplorari potest. *Ubi enim non mutuus est amor conjugum, ibi discordia sauciat mentes, impedit invocationem Dei, turbat totam*

*tam domesticam consuetudinem & multa parit peccata, causamque dat casibus tragicis & tristissimis calamitatibus, ex quo tandem miseri homines in desperationem & aeternum exitium ruant. Plura huc pertinentia v. apud B. Stryk. de dissens. sponsalit. sect. 2. §. 39. seqq.*

## §. XIII.

*Altero casu, quando poenitentia ex mera malitia provenit, quaeritur, quid juris sit? hoc certum est, malitiam non esse debere impunitam, illud saltem remanet, quodnam poenae, vel coactionis medium adhibendum sit? respondebimus verbis B. Strikii in tract. cit. de dissens. sponsal. sect. 2. §. 7. quod si autem, inquit, nec hoc pacto (id est, nec mulcta, nec carcere,) reduci ad concordiam possint, annon reluctans inuitus etiam sponsae suae jungi possit, altioris indaginis negotium est. Adfirmatiuam equidem suscinet Carpzou. jurispr. eccles. l. 2. def. 135. verum ipse d. l. n. 8. suam restringit sententiam ad casum, si praeter desponsationem deflorata jam sponsa sit, sic enim reuera non de sponsalibus amplius consummandis, sed de consummato jam matrimonio (quod sine dubio per consensum et copulam carnalem jam diuino humanoque jure factum est, cum ad ejus substantiam hierologia non pertineat,) continuando quaestio est, quo casu nemo dubitat, omnem vim adhiberi posse, ut obligationi semel contractae itent desponsati, et ad hos terminos reducendi sunt casus, quando in Consistoriis inuiti copulantur. Extra casum vero copulae carnalis, si quis mulcta, vel carcere induci nequeat, ut fidem sponsae seruet, non quidem existimo inuitos per ecclesiae ministrum esse conjungendos, attamen grauissima poena hanc malitiam coercendam esse censeo.*

Hæc

Hæc quoque nostra est sententia et hinc nihil ulterius addimus, sed de consensu tanti Jcti nobis gratulamur.

## §. XIV.

Porro hic nobis sese offerunt *pacta nuda Romanorum*. De his quidem Jacobus Mæstertius in *tract. de justit. Roman. leg. l. 1. dubitat. 31.* adserit, quod etiam jure Romano obligationum et actionem produxerint, et hinc poenitentiae locus non fuerit, simulque tota doctrina de differentia inter pacta et contractus, nec non inter pacta nuda, legitima et adjecta fundamento destituatur; verumenimvero mihi hæc opinio Mæstertii sese non probat, expressè enim Ulpianus in *l. 7. §. 4. ff. de pact. nuda*, inquit, *pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem*: & Paulus in *l. 6. ff. eod.* quod interdum saltem ex pacto actio nascatur, scilicet, *quotiens pactum illud lege, vel Senatusconsulto adjuvatur*. Porro ante citatus Ulpianus in *d. l. 7. §. 1. & 2. eod. cas* solum conventiones parere actiones dicit, *quæ in suo nomine* (id est in nomine pactorum, vel simplicium conventionum) *non stant, sed transeunt*, vel in proprium nomen contractus, ut *emptio, venditio, locatio, conductio, societas, commodatum, depositum, & ceteri similes contractus*, qui propterea nominati adpellantur: vel, licet in alium contractum (nominatum scilicet) *res non transeat, subsit tamen causa*, id est, datio, vel factum, hæc enim est causa, quæ contractum innominatum constituit, prout hoc subsequentiæ legis verba satis clare innunt. Ergo simplices conventiones, quæ contractus innominatos præcedunt & quibus ex vna parte nondum accessit datio, vel factum, sunt pacta nuda & non producunt obligationem, sed alter etiam altero invito ab iis recedere potest, add. *l. 15. ff. de præscript. verb.* & omnino

*l. 1. §. 2. ff. de rer. permut.* Eadem est ratio pactorum, quæ contractus nominatos reales præcedunt, v. g. pactum de mutuo dando, ubi tamen datio non accessit & hinc pœnitentiæ locus datur, re enim demum contrahitur obligatio, veluti *mutui datione.*

## §. XV.

Perlustrabimus jam potiora momenta, quibus Mæstertius pro stabilienda sua sententia singulari usus est. Provocat ad *l. 1. pr. ff. de pact.* ubi Ulpianus *nihil tam congruum fidei humanæ esse dicit, quam ea, quæ inter eos placuerunt, servare,* nec non ad *l. 7. §. 7. eod.* ubi idem: *ait Prætor: pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, Sctæ, Edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo.* Responderetur, eundem Ulpianum in *d. l. 7. §. 4.* adseruisse, quod nuda pactio obligationem non pariat, & proinde pacta illa, quæ servat Prætor, non esse nuda pacta, quia Ulpianus alias sibi ipsi contradiceret, quod non est probabile. Dicit: Ulpianum tamen loqui de pactis, non de contractibus; respondeo, pactionis & conventionis nomen in eadem *l. 7. §. 1.* tam late capitur, ut contractus quoque sub se comprehendat. Inde dicebatur, quasdam conventiones in suo nomine stare, quæ sunt pacta in specie dicta, quasdam vero in proprium nomen contractus transire. Ergo Prætor pacta servat, quæ vel ab ipso specialiter confirmata, v. g. pactum constitutæ pecuniæ, vel quæ contractui adjecta, vel quæ plane in nomen contractus transeunt.

## §. XVI.

Prouocat Mæstertius ad *ordinem*, secundum quem titulus de pactis tam in Digestis, quam in Codice positus

tus est. Scilicet positus est ille titulus post titulum de in jus vocando, cautionem iudicio sistendi causa factam editamque actionem; atqui, dicit Mæstertius, titulus de pactis hic frustra poneretur, si pacta obligationem non producerent. Lepidum sane argumentum. Si titulus de pactis positus est post titulum de in jus vocando, de edendo, &c. sequitur exinde, quod pacta nuda iure Romano perfectam producant obligationem. Probetur consequentia. Ita nos respondemus, quoniam connexionem antecedentis & consequentis hariolari non possumus.

## §. XVII.

Adducit quoque idem Autor diuersos casus, quibus ex pacto datur actio ipso Romanorum iure. Verum facili negotio ostendemus, eos Mæstertio ad stabiliendam opinionem suam nihil proficere. Primo inquit, si quis iure Romano dixerit: *quod Meuius tibi debet, ego tibi soluam*, is efficaciter obligatur conueniturque actione, quæ vocatur de constituta pecunia, l. 1. per tot. §. 1. r. ff. de constit. pecun. De hoc casu constituti nemo dubitat, quoniam constitutum a Pratore specialiter confirmatum fuit; ast vero ab hoc casu speciali ad nuda pacta in genere non valet consequentia. Errat igitur Mæstertius quando paulo post subiungit: *ergo, uti ex constituto, ita etiam ex pacto, quod serio & deliberato animo initum est, obligatio & actio nascuntur.*

## §. XIII.

Pergit: in bonæ fidei iudiciis usuras ex promissione per epistolam facta deberi, l. qui negotia. 34. in f. princ. ff. mandat. & pignoris constitutionem sustineri, licet epistola sine die & consule fuerit, l. cum tabernam. 34. §. 1. ff. de

*de pignor. & hypoth.* Respondeo, statum controversiæ esse de pacto nudo; at vero pactum, quo mediante usufructu in b. f. judiciis promittuntur, non est pactum nudum, sed adjectum, & ergo illud huc non quadrat. In *l. 34. §. 1. ff. de pignor.* quæstio proponitur: *utrum alterius epistola probationem faciat, cui dies & consul non sunt additi?* eaque quæstio adfirmatur. Sed quid hoc ad quæstionem de obligatione nudi pacti? pignus quidem parit obligationem, sed illud non est nudum pactum, quia jam in aliud & proprium nomen contractus transit, *l. 1. §. 4. l. 7. §. 1. ff. de pact.* quod si de hypotheca in specie quæris: Prætor hypothecæ conventionem specialiter confirmavit, sed exinde ad alias conventiones non potest fieri illatio, v. §. 7. *J. de act.*

## §. XIX.

Addit Mæstertius: si quis simpliciter & nulla interrogatione præcedente dixerit:  *dono tibi dimidiam partem bonorum meorum, vel polliceor, aut promitto tibi fundum Tusculanum,* efficaciter obligatur, & ad tradendum conveniri potest, *l. si quis argentum. 35. §. ult. C. de donat. §. 2. J. cod.* Respondeo, pactum donationis quondam apud Romanos erat nudum pactum & sic ex illo, perinde uti nec ex aliis similibus non oriebatur actio; in *cit. l. 35.* autem, ex qua §. 2. *J. de donat.* defumtus est, illud specialiter confirmatum & ex eo actio concessa fuit. Ergo secundum jus Romanum recentius donatio est pactum legitimum, quæstio autem in præsentem est de pacto nudo. Unde ab illo ad hoc non valet consequentia. Plura adferre & refutare non est necesse, Mæstertius enim ubique pacta nuda cum legitimis & adjectis, nec non cum ipsis contractibus con-

fun-

fundit, ut contra communem eamque veram sententiam aliquid adtulisse videatur, absque hac confusione enim nihil adferre potuisset.

## §. XX.

Manet ergo cum pace Mæstertii regula, quod jure Romano pactum nudum non produxerit actionem, & ergo pœnitentiæ vnus inuita etiam altera parte locus fuerit. Interim moribus nostris aliud obtinet. Hodie, inquit B. Strykius *Vf. mod. ff. tit. de pact. §. 1.* pactorum vis non imminuta, sed aucta potius, dum moribus præcipue facultas producendi actionem pactis quæsitâ, adeo, vt quamuis jure Romano notorium sit, ex pacto nudo non dari actionem, hodie vnanime DD. sit conclusum: ex omni pacto serio & deliberato inito (supposita tamen persona alias ad contrahendum habili, exclusisque impedimentis consensus, errore, metu, dolo, &c.) hodie validam nasci actionem. Quo fundamento juris moderni supposito pene multa inde resultant consecutaria, &c.

## §. XXI.

Caue itaque, ne vsum juris Romani adhuc in materia pactorum nudorum adesse statuas, & quidem ex illo fundamento, quoniam nec hodie ex nudis *tractatibus* firma nascitur actio, aut obligatio. A tractatibus enim ad pacta nuda non valet argumentatio. Scilicet in pactis nudis Romanorum, v. g. de mutuo dando, permutando, & similibus, ytraque pars paciscentium consensum suum de singulis negotii capitibus jam perspicue & determinate declarauerat, vnde pactum actionem producere potuisset, si modo solemnia verba, id est, interrogatio atque responsio, atque vno verbo stipulatio accessisset; verum enimvero tractatus præliminaria saltem & præparatoria futu-

futurorum contractuum & pactorum sunt, unde partes consensum suum de singulis negotii capitibus determinate & plene nondum exposuerunt, sed altera pars intuitu hujus illiusue articuli ab altera adhuc dissentit. Hi ergo tractatus apud nullam gentem actionem producere possunt, quia consensus nondum est perfectus: sed e contrario pacta nuda perfecte obligant paciscentes apud omnes gentes, quia solennes interrogationes atque responsiones ad instituta Romanorum peculiariter referuntur.

## §. XXII.

Neque pro nudis pactis usus juris Romani demonstrantibus venditari possunt *pacta foeminarum Saxonica-  
ram consensu Curatoris destituta*. Atqui, dicitur, neque ex his contra foeminam paciscentem actio institui potest, ergo sunt pacta nuda. Falleris. Adfertio quidem vera est: ex nudo pacto non datur actio, aut contra regulas de conuersione impingeret, si quis exinde inferre vellet, ergo omne illud, ex quo non datur actio, est pactum nudum. Homo non est quadrupes: sed non sequitur, ergo omne animal, quod non est quadrupes, est homo. Simili ratione pacta a pupillis sine tutoris autoritate inita ad pacta nuda referri non possunt. In pactis nudis Romanorum enim semper supponitur, paciscentem esse personam habilem ad paciscendum, sed vero in foemina Saxonica pariter, ut in pupillo, illaabilitas prorsus deficit. Ergo pactum neque est nudum, neque vestitum, sed est nullum. Recte Cajus in *l. 28. pr. ff. de pact. contra juris civilis* (idem est in jure prouinciali) *regulas pacta conuenta rata non habentur: veluti, si pupillus sine tutoris autoritate pactus sit, ne a debitore suo peteret, aut, ne intra certum tempus (veluti quinquennium) peteret.*

## §. XXIII.



## §. XXIII.

Pergo jam ad alias conuentiones, quæ vnus contrahentium poenitentia iterum dissolui possunt. Offerunt se hic primo loco *contractus innominati Romanorum*, in quibus ille, qui ex sua parte contractum per dationem impleuerat, vel præscriptis verbis aduersus accipientem agere poterat, vt ille contractum ex sua parte reciproce impleret, vel si altero cessante ipsum poenitet, rem datam mediante conditione causa data causa non secuta repetere potest. Vlpianus in *l. 3. §. 2. ff. de condict. caus. dat. caus. non sec. sed si tibi dedero, vt Stichum manumittas, si non facis, possum condicere: aut si me poeniteat, condicere possum*, add. *l. 7. ff. de præscr. verb.*

## §. XXIV.

Hodie interim in contractibus innominatis ejusmodi poenitentia locus non conceditur, v. Schilterum *in prax. jur. Rom. exerc. 32. §. 11.* & Strykium *Vf. modern. ff. tit. de æstimat. act. §. 2.* Scrupulum hic mouet Carpzouius *p. 2. c. 33. d. 23.* Nudo consensu, inquit, & voluntate perficitur emptio - venditio - - vtrumque vero, addit *n. 4. seqq.* aliter se habet in permutatione, hæc enim ex re tradita demum initium obligationi præbet & mutuam traditionem ac dominii translationem requirit. Igitur, pergit, & ante traditionem factam tanquam re adhuc integra poenitere licebit. Paulo post *num. 7.* subjungit: multo magis admitteretur poenitentia, si a neutro contrahentium traditio facta sit; ita enim in contractibus innominatis locus est poenitentia, quousque contractus impleatur ex vtraque parte. In fine definitionis etiam subnectitur responsum Dnn. Scabinorum Lipsiensium de A. 1595. ad vsum fori sine dubio eo melius ostendendum, vbi sequens

quens ratio decidendi inuenitur: Diuini aber dennoch von keinem Theil die wirkliche Tradition und Einräumung der vertauschten Häuser erfolgt &c. So mag auch Glasbach zu Vollziehung berührtes Tausches und Einräumung seines Hauses wider seinen Willen nicht gedrungen werden.

## §. XXV.

Quemadmodum vero ea, quæ Carpzouius adfert, magis ad materiam de pacto nudo, quam ad contractus innominatos pertinent: ita quoque, quod obligationem ex pactis nudis hodie descendentem attinet, ipse Carpzouius seipsum jam refutauit. Scilicet, stipulationem in permutatione interuenientem pœnitentiam excludere adserit *d. p. 2. c. 33. d. 23. num. 8.* quæritur jam, annon pactum nudum moribus nostris eundem effectum habeat, quem olim stipulatio producebat? Carpzouius *loc. cit.* negat, prout hoc inter alia ex verbis Responsi in §. *præc.* adducti patet; sed audiamus, quæ ipse *p. 2. c. 19. d. 17.* in contrarium disserat. Ita vero ibi *num. 7. & 8.* *Et in effectu,* inquit, *parum refert, an stipulationem hodie ut stipulationem, vel ut pactum nudum valere velis, cum de iure canonico & moribus nostris Saxonis etiam ex nudo pacto competat actio, Land R. l. 2. art. 7. Reinhard l. 2. part. 1. differ. 25.* quis hæc inter se conciliaret? Firma itaque manet nostra adfertio ipso Carpzouio teste, quod ex pacto nudo hodie perfecta nascatur obligatio, & per consequens, quod quemadmodum apud Romanos in contractibus innominatis pœnitentiæ locus non erat, quoties stipulatio intercesserat: ita quoque apud nos pœnitentiæ nunquam locus detur, quia omne pactum moribus nostris vim atque effectum stipulationis habet.

## §. XXVI.

§. XXVI.

A contractu *societatis* quoque alterum altero invito ex capite pœnitentiæ recedere posse, notum est, modo renunciatio non sit dolosa, *vil. 65. §. 3. & 4. ff. pro soc.* vnde conuentio, ne omnino diuisio fiat, nullas vires habet, *l. 14. §. 2. ff. comm. diuid.* & quamuis in eodem textu dicatur, valere conuentionem, ne intra certum tempus a societate recedatur; hoc tamen limitationem capit ex *l. 14. ff. pro soc.* in eo casu, si ita injuriosus, aut damnosus sit socius, vt non expediat eum pati. Ergo, si dicendum, quod res est, a communione vtroque casu & eodem modo recedere semper permissum erit, quamdiu enim socius nec est injuriosus, nec damnosus, neminem facile in ita societatis pœnitebit. Pertinet huc notum Brocardicum: *communio est mater litium*, quod tamen sano sensu accipiendum. Scilicet, vocabulum *mater* hic vel potest accipi pro *causa* litium, vel pro *occasione* excitandarum diffensionum. Prior significatus huc non pertinet, nec communio est causa litium, quia alias necessario ex omni communione lites pronasci deberent, quod tamen non semper & vbi-que euenit. Ergo est saltem occasio, & vitium non est ipsius communionis, sed personarum in communione viuentium. Sub initium noui fœderis, testantibus hoc actis Apostolorum, omnia Christianorum bona erant communia, nec lites ex communione illa propullulabant, quamdiu Christiani in puro & infucato amore persistebant, vnde tunc vere adplicari poterat vulgatum illud: amicorum bona sunt communia. Si quis vero hodie, quod quidam suaserunt, ejusmodi communionem postliminuo iterum introducere vellet: exinde sane innumerae lites metuendae essent. Ratio est, quia infucatus amor

D

exulat.

exulat. Et hoc ipsum est vitium non communionis, sed hominum deprauatorum.

§. XXVII.

Eodem modo, vti societas, contractus *mandati* quoque vnus pœnitentia dissoluitur, si modo mandatarius pœnitentiam atque dissenfum iusto tempore declarat, ita, vt integrum jus mandatori referuetur, vel per se, vel per alium eandem rem commode explicandi, prout loquitur Paulus in *l. 22. §. 11. ff. mandat.* Hæc de casu, si mandatarius suscepti mandati pœnitet. Mandanti idem jus competit, quamdiu res est integra, id est, quamdiu mandatarius ad executionem mandati & v. g. instans forte iter, nondum se præparauit & eo nomine quid impendit, hæ enim expensæ ipsi refundi debent, v. *§. 9. J. de mandat.* Quod si tales impensas non fecit mandatarius, de reuocatione facta ille conqueri non potest, quia mandatum sua natura est gratuitum, atque propterea per pœnitentiam mandantis mandatario nullum præiudicium inferitur, sed ille potius a præstatione operarum nunc liberatur. *Cajus in l. 27. §. 1. ff. mandat. si seruum ea lege tibi tradidero, vt cum post mortem meam manumitteres, constitit obligatio. Potest autem in mea quoque persona agendi causa interuenire: vcluti, si pœnitentia acta seruum recuperare velim.*

§. XXXIX.

In *feudalibus* quoque pœnitentiæ vassalli locus datur, siue, vt scilo recepto vtamur, vassallus etiam sine voluntate domini directi feudum resutare, id est, feudo renunciare potest, per expressum textum *2. F. 38.* modo tamen, vt interpretes monent, hoc non fiat intempestiue, v. g. domino in procinctu existente, & si alius vassallus

fallus non statim adest, qui vices refutantis vasalli in se suscipere vult, hac ratione enim conciliandi sunt DD. in hac materia alias a se inuicem maxime dissentientes, de quorum diuersis opinionibus pluribus videri poterit Hermannus Vultejus *de feudis l. 1. c. 10. num. 130. seqq.* add. Mynsingerus *cent. 5. obs. 65.* Abstrahendo autem ab e- jusmodi specialibus & rarioribus circumstantiis dominus directus jus contradicendi non habet, ipsius enim non interest, quia centum vasalli noui mox adsunt, in locum refutantis vasalli successuri ejusdemque locum occupaturi. Ex hisce centum ergo optimum eligere poterit dominus directus. E contrario autem domino directo ex capite pœnitentiæ feudum Vasallo semel concessum huic inuito & sine iusta causa iterum auferre non est permissum. Vasalli enim quam maxime interest, vt feudum semel aduersum adhuc vltterius & in perpetuum retineat, quoniam centum domini directi non adsunt, qui priori feudo amisso nouum aliquod sponte offerunt.

## §. XXIX.

*Aditio hereditatis* non est quidem verus contractus, interim tamen in classem quasi- contractuum referri solet, ac proinde de eo etiam hic agi poterit. Occurrit vero hic casus specialis sequens in *l. 25. §. 14. ff. de acquir. vel omitt. hered.* ex quo simul multa ad contractum mandati spectantia illustrari possunt. Pater iusserat, vt filius ipsius (patris) nomine certam aliquam hereditatem adiret: patrem deinde pœnitet, filius autem nihilominus adit hereditatem, quæritur: an pater ex hac aditione obligetur? respondet Ulpianus in *cit. l.* hoc modo: *sed si posteaquam iussit, pœnitentiam egit, priusquam adiret, nihil agit aduendo.*

## §. XXX.

Duo casus hic sunt distinguendi. Aut filius rescit, quod pater, posteaquam iussit, pœnitentiam egerit, aut de illa pœnitentia ipsi nihil constat. De priori casu nullum meo iudicio dubium superest, omnis enim mandatarius, cui constat, quod principalis voluntatem suam mutauerit & qui hoc non obstante nihilominus nomine principalis negotium peragit, limites mandati, quod antea habebat, excedit & sic principalis ex illius facto plane non obstringitur. Ergo de posteriori casu solum quæstio est, annon negotium validum sit etiam intuitu principalis, si mandatarius pœnitentiæ principalis ignarus negotium demandatum expedit, postquam principalis pœnitentiam jamdum egerat? negat quæstionem Ulpianus in *cit. l. & glossa illam legem per modo dicta recte de eo casu explicat, quando filius de pœnitentia patris jubentis nihil rescivit, verbis: & nota, quod non opus, certum fieri filium, hujusmodi pœnitentiæ. Glossa adhuc alios textus suppeditat, qui sententiam hanc confirmant. Ita Julianus in l. 4. pr. ff. de manumiss. vindict. sin autem ignorante filio pater vetuisset per manumissum, & antequam filius certior fieret, servum manumississet: liber non sit. Nam ut filio manumittente servus ad libertatem perveniat, durare oportet patris voluntatem: nam si mutata fuerit, non erit verum, volente patre filium manumississe. Ita Papinianus in l. 7. ff. de divort. si pœnituit eum, qui libellum tradendum divortii dedit, isque per ignorantiam mutata voluntatis oblatu est: durare matrimonium dicendum, nisi pœnitentia cognita, is, qui accepit, ipse voluit matrimonium dissolvere: tunc enim per eum, qui accepit, soluitur matrimonium. Africanus in l. 41. ff. de reb. cred. nam & si tibi in hoc dederim*

*num-*

*nummos, ut eos Stichus credas, deinde mortuo me ignorans dederis, accipientis non facies, in qua lege quidem de eo casu sermo est, si mandans ante executionem mandanti mortuus fuerit; interim tamen eadem est ratio, in eo, qui poenitentiam agendo voluntatem suam mutauit. Plures textus & argumenta legum huc pertinentia sup-  
pedabit glossa ante adducta.*

## §. XXXI.

*Baldus Perusinus in lectura ad cit. l. 25. §. 14. ff. de ad-  
quir. vel omitt. hered. in hac materia sequentem in mo-  
dum distinguit: aut mandatarius interuenit ut nuncius,  
praebens nudum ministerium, & tunc sufficit poenitentia si-  
ne certioratione & impedit actum, quo refert l. 4. pr. ff.  
de manumiss. vind. & l. 7. ff. de diuort. in §. preced. a nobis  
jam recensitas. Si vero interuenit ut procurator, tunc  
subdistinguit Baldus. Aut in actu gerendo quoad substan-  
tiam requiritur consensus domini, ut in translatione domini,  
tunc si dominum poeniteat, non valet id, quod agitur  
post poenitentiam, in quem finem citat l. 11. ff. de R. I.  
aut est actus, ad cuius substantiam non requiritur consensus  
domini, ut contractus, & tunc reuocatio sine certioratione  
non impedit actum gerendum, quo refert l. 15. ff. man-  
dat. ubi Paulus: si mandassem tibi, ut fundum emereres,  
postea scripisssem, ne emereres, tu antequam scias, me vetuisse,  
emisses, mandati tibi obligatus ero: ne damno adficiatur is,  
qui suscipit mandatum.*

## §. XXXII.

*Mihi vero etiam in ultimo casu a Baldo adducto so-  
lam poenitentiam sine certioratione mandatarii sufficere  
videtur. Non enim intelligo, quid sibi velit adfertio:  
consensum domini non requiri ad substantiam contractus;*

bairp

D 3

imo

imo potius, si dominus ex contractu a procuratore inito obligari debet, sine dubio etiam ipsius consensu opus erit ad contractum illum recte celebrandum. Nec obstat *l. 15. ff. mandat.* ex ea enim hoc saltem deducitur, quod mandatarius, si reuocationis & pœnitentiæ principalis adhuc ignarus expensas in expeditionem negotii fecit, eo nomine contra principalem actionem mandati contrariam instituere queat, non vero, quod ipse contractus interim celebratus, perfectus sit & validus, v. Jul. Pacius *ad §. recte. 9. J. de mandat.* imo existimo, dominum quoque obligatum esse, vt alteri, cum quo procuratori negotium expediendum fuit, expensas, si quas fecit, similiter restituat, ne pœnitentia ipsius in præiudicium tertii vergat, & quia illam citius significare debuisset. Idem accidit eo casu, quando non *de noua obligatione introducenda*, sed potius *de veteri dissoluenda* agitur, v. g. si debitor dispensatori soluit, qui tamen dispensator ignorante debitore ab actu remotus est, nam & hic debitor soluens indemnus esse debet & soluendo liberatur, quia in ignorantia facti alieni versatur, v. *l. 51. ff. de solut.* Atqui, in istas forte, etiam in altero casu, quando de obligatione noua introducenda agitur, tertius cum procuratore contrahens in tali ignorantia versatur; ita quidem recte, sed exinde nihil amplius consequitur, quam quod, prout diximus, ipse ratione expensarum indemnus præstari debeat. Adde & hoc: In casu, quem in §. XXIII. seqq. pertractauimus, *nec procuratori, nec tertio*, qui cum procuratore contrahebat, *ante negotium celebratum de pœnitentia domini constabat*; in casu *l. 51. ff. de solut.* vero procuratori *de illa pœnitentia iamdum ante factam a debitore solutionem constabat*, & ergo dominus sibi imputare debet, quod



quod non simul eo tempore, quo pœnitentiam suam procuratori significauit, eandem quoque tertio significauerit. Instas porro: dominum sibi quoque imputare debere, quod priori casu nec procuratori, nec tertio pœnitentiam significauerit; respondeo, interdum subito superuenit casus, qui dominum ad pœnitendum inducit, vnde tam cito pœnitentia significari nequit. Sed posito etiam, sat temporis hac parte superfuisse domino, tunc quidem aliqua culpa subest, sed non tanta, quanta in altero casu, vbi quidem pœnitentiam significabat procuratori, non vero tertio. Ergo aliqualis illa negligentia factis punitur, quando, vt diximus, dominus ad refusionem expensarum condemnatur.

## §. XXXIII.

In reliquis negotiis inter viuos validis & secundum legum præscriptum initis reuocatio consensus semel præstiti ex capite solius pœnitentiæ non est permissa. Pertinet huc l. 4. C. de reuoc. donat. cum profitearis, te in fraudem alterius donasse, professionem inhonestam continere intelligis. Itaque si donationem perfecisti, eam reuocare non potes ex memorata allegatione sub obtentu pœnitentiæ. Adde l. 2. C. eod. vbi Imp. Probus ita: si apud prouinciæ Præsidentem auram filie tue quasi pœnitentia ductam subtracta instrumenta donationum igne exussisse constiterit: vereri te non oportet, ne id, quod iure vires acceperat, ex postfacto possit in dubium reuocari. Item l. 3. C. eod. possessionem, quam in vos emancipatos per donationem mater contulit, ex pœnitentiæ sola alienare non potuit. Procedit ergo in reliquis negotiis inter viuos regulariter notum illud: quæcunque ab initio sunt voluntatis, ea ex postfacto fiunt necessitatis, conf. Finckelth. obs. 13. num. 8. adde l. 3. §. 1. ff. de pollicitat. vbi

vbi Ulpianus: *si quis, inquit, quam ex pollicitatione tradiderat rem municipibus, vindicare velit, repellendus est a petitione: æquissimum enim est, huiusmodi voluntates in civitates collatas pœnitentia non reuocari.*

## §. XXXIV.

Exceptio ab hac regula adest, quoties contrahentibus placuit, vt alteri eo casu, si ipsum contractus initi pœnirer, soluta certa pœna iterum recedere liceat. Et huc præcipue pertinet pactum de pœna conventionali in casum pœnitentiæ soluenda, quod emtionibus venditionibus non semel adjici solet, & propterea in vernacula *der Neutauff* vocatur, v. *Besold. thes. pract. continuat. voc. Neutauff*; nec non Matthiam Berlichium in *decisionibus*, quas aureas vocat, *part. 1. decis. 43. 44. 45. 46. & 47.* Quin incuitu venditoris hoc pactum valeat, nullum est dubium; sed vero de emtore nonnulli scrupulum mouerunt, existimantes, speciem vsurariæ prauitatis subesse, si emtor, qui ad quantitatem, siue pretium soluendum obligatus est, in casum contrauentionis & pœnitentiæ pœnam conuentionalem soluere teneretur. Et sane, pœnam illam in *l. 13. §. 26. ff. de act. emt.* satis clare prohibitam esse videtur, ita enim ibi: *si conuenierit, vt ad diem pretio non soluto venditori duplum præstaretur, in fraudem constitutionum videri adiectum, quod vsuram legitimam excedit, add. l. 17. C. de vsur.* quæ de mutuo agit & non permittit, vt pœna ultra legitimum vsurarum modum promittatur.

## §. XXXV.

His tamen non obstantibus Berlichius in *decisionibus aureis loc. cit.* contrariam sententiam defendit, & pactum de pœna in casum pœnitentiæ soluenda licitum esse adstruit, quoniam emtor & venditor sunt correlatiua,

ua, & quia contractus non debent claudicare, sed inter partes æqualitas conseruanda est. Hæ quidem rationes valde plumbeæ sunt, prout jam obseruauit Brunnem. *ad l. 13. ff. de act. emt. num. 75.* interim tamen ipsa Berlichii thesifis salua manet. Tentabimus, an rem clarius proponere possimus. Scilicet, quod in contractu mutui poena conuentionalis vltra determinatum vsurarum modum promitti non possit, hoc exinde fit, quia tunc *non solum illa poena conuentionalis*, sed præter eam *adhuc ipsa fors* restitui deberet, quod maximo damno adficeret debitorem. At vero in contractu emtionis - venditionis, quando poenitens poenam conuentionalem soluit, *a solutione fors, siue pretii, penitus est immunis*. Hæc differentix ratio quemadmodum manifesta est: ita exinde prono aluo profluit, quod in præsentī materia a contractu mutui ad contractum emtionis - venditionis non procedat consequentia. Facilis nunc quoque est responsio ad *l. 13. §. 26. ff. de act. emt.* ibi enim duplum promissum mixtum erat, id est, vnum simplicum ipsum pretium rei, alterum vero poena. Ergo præter poenam pretium adhuc soluendum erat, & propterea eadem ratio suberat, quam intuitu mutui adduximus. At vero, qui poenam nostram conuentionalem soluit, ille ad pretium soluendum non tenetur, sed ab obligatione penitus liberatur. Si vrge textum, in quo poena conuentionalis nostra expresse adprobata sit; respondebimus, sufficere, quod ea nullibi prohibita fuerit. Deficiente ergo legis prohibitionē partes pro lubitu pacisci possunt.

## §. XXXVI.

Adest etiam in iure nostro casus, ubi emtori per pactum adjectum ab emtionē recedere & sic poenitere

E

per-

permittitur, nulla pœna soluta. Vocatur *pactum displicentiae* stilo communiter recepto. Paulus in *l. 6. ff. de rescind. vend. si conuenit, ut res, quæ venit, si intra certum tempus displicuisset, redderetur, ex emto actio est, ut Sabinus putat, aut proxima emti in factum datur.* Ergo, si certum tempus determinatum, res dubio caret. Sed quid si ejusmodi determinatio non facta? in factum actionem intra sexaginta dies utiles accommodari emtori ad redhibendum, dicit Ulpianus in *l. 31. §. 22. ff. de edilit. edict.*

## §. XXXVII.

Hæc de contractibus. In *actibus ultimæ voluntatis* diuersa plane ratio est, ibi enim regula locum habet, quod nemo sibi eam legem possit dicere, ut a priori ei recedere non liceat, *l. 22. pr. ff. de legat. 3.* vel, prout in *l. 4. ff. de adimend. vel transfer. legat.* habetur, ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum. Debent vero posteriores tabulæ æque perfectæ esse, ut priores, alias enim has non rumpunt. In §. 7. *J. quib. mod. testam. infirm.* hac de re ita dicitur: *ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere: usque adeo, ut si quis post factum prius testamentum posterius facere cepit, & aut mortalitate præuentus, aut quia eum ejus rei pœnituit, id non perfecerit, diu Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores jure factæ irritæ fiant, nisi sequentes jure ordinate & perfectæ fuerint: nam imperfectum testamentum sine dubio nullum est.*

## §. XXXVIII.

Casus specialis est, quem Hermogenianus in *l. 22. pr. ff. de legat. 3.* proponit. Adscripserat quis in principio testa-

testamenti, cui *his legauero, semel deberi volo*, postea autem eodem testamento, sciens sæpe eidem legauerat, quærebatur, an legatarius vnum saltem, an vero singula legata consequatur? respondet Jctus, supremam voluntatem potiorē haberi, sed hoc ita, si testator specialiter dixerit, *prioris voluntatis sibi pœnituisse, & voluisse, vt legatariis plura legata accipiat*. Sed quid opus hac speciali declaratione, si suprema, id est, posterior voluntas potior haberi debet? responderi forte posset, omnia, quæ fiunt in eodem testamento, simul facta videri & sic non præsumi voluntatem posteriorem, nisi specialiter declarata fuerit, quamuis verba illa de speciali declaratione non Hermogeniano Icto, sed Triboniano adscribat Cujacius *lib. 14. obseru. 7.*

## §. XXXIX.

Quemadmodum *donatio mortis causa* species actuum vltimæ voluntatis est: ita quoque eadem per nudam pœnitentiam reuocatur, §. 1. j. *de donat.* ibi: *vel si eum donationis pœnituisset*, non minus ac legata, quippe quibus comparatur in *l. 4. C. de donat. caus. mort.* & in *cit. §. 1. J. de donat.* E contrario autem donationes ejusmodi & legata interdum quoque per pœnitentiam conualidantur. Notum est, quod legata tacite ademta censeantur, si inter testatorem & legatarium capitales inimicitia intercesserunt; verum Vlpianus in *l. 4. ff. de adim. vel transf. leg.* ita subjungit: *quod si iterum in amicitiam redierunt, & pœnituit testatorem prioris offensæ: legatum, vel fideicommissum relictum redintegratur.*

## §. XL.

Pauca adhuc ex materia de processu addamus. Occurrit ibi primo loco quæstio, an actor ex capite pœnitent-

tentiæ a libello sub initium processus judici oblato recedere & *novam plane actionem instituere* possit? vocant hoc mutationem libelli Practici, eaque tam diu licita habetur, quamdiu reus litem nondum contestatus est, quia tunc ipsi per ejusmodi mutationem nullum inferitur præjudicium. Equidem Brunnemannus in *proc. civ. c. 5. n. 17.* existimat, in puncto juris veriore esse sententiam, quod mutatio libelli etiam post litem contestatam licita sit, si reo refundantur expensæ deturque spatium novum deliberandi; verum nos non existimamus, quod hoc feriat statum controversiæ, quæstio enim in eo consistit: *utrum actor post litem contestatam libellum suum impune*, id est, absque refusione expensarum mutare queat? Sane, si per plurimos annos cum altero litigavi, jam autem intelligo, fundamentum actionis, quod in libello meo adduxeram, a me probari non posse, a lite omnino discedere potero, si expensas alteri refundere paratus sum, hoc enim facto adversarius justam contradicendi causam amplius non habet. *Quod* si forte adpareat, actorem ex lite discedentem malitiose egisse: tunc is præter refusionem expensarum ad solutionem multæ arbitrariæ condemnari poterit.

## §. XLI.

In materia de *juramenti delatione* hæc quæstio sese offert: an deferenti post semel delatum & ab altero acceptatum juramentum facultas poenitendi competat, id est, an juramentum acceptatum iterum reuocare possit? ex capite solius poenitentia hoc non licet, interim tamen duo dantur casus, ubi reuocationi delati jurisjurandi locus est. Primus, quando post factam acceptationem novæ probationes superveniunt, v. Moller. *semestr. l. 3. c. 3.*  
Brun-

Brunnem. *ad l. 11. C. de reb. cred.* alter vero, quando defrens probare vult, alterum pejeraturum esse, *Mev. p. 2. dec. 93. num. 6.* quo ipso tamen tota regula, quod ille, qui juramentum acceptauit, ex acceptatione jus quæsitum obtinuerit, fere corrui. Pro ratione dictorum interim adduci possent, quod publica vtilitas exigat, vt perjuriam quocunque modo euitentur, & sic ad vtilitatem priuatam, quam alter ex acceptatione præterit, hic plane respici non debeat. Quando enim concurrat vtilitas publica cum priuata, hæc illi semper cedit, v. *Finckelth. obs. 69. num. 5.* Alia nunc prætereo & pergo ad

## CAPVT III.

## DE EFFECTU POENITENTIÆ IN CAUSIS CRIMINALIBVS.

## CONTENTA HVIVS CAPITIS.

**P** Rincipalis scopus hujus capituli de effectu poenitentiae in iure poenae publicae, quae materia eo melius illustratur, si de effectu poenitentiae in iure actionis ex delicto ad interesse priuatum tendentis quaedam præmittuntur, §. I. poenitentia actionem priuatam tollit, si ea cum restitutione damni est conjuncta, §. II. an propter poenitentiam poena publica mitigetur? textus nonnulli, qui sunt *Ulpiani*, & qui nullum effectum poenitentiae tribuunt, §. III. textus *Pauli*, qui poenitentiae effectum tribuere videntur, §. IV. *Taboris conciliatio*, §. V. quae tanquam insufficientis rejicitur, §. VI. *conciliatio glossæ*, §. VII. *cujus defectus iterum ostenditur*, §. VIII. *nec etiam *Siruius*, nec *Gothofredus* dubia circa textus adductos prorsus tollit*, §. IX. *an moribus nostris poenitentiae effectum producat?* §. X. *poenitentia ab omni poena liberat, quando delinquere volens intra terminos nuda voluntatis substituit*, *Status controversæ*

uerſe inuicem ipſorum delictorum, §. XI. Tota res ad duos caſus principales reducitur, utrum ſcilicet per poenitentiam res in priorem ſtatum reduci poſſit, annon, §. XII. ſpeciatim de crimine furti, §. XIII. diſſidationis, §. XIV. receptationis delinquentium, §. XV. raptus, §. XVI. incendii, XVII. falſe monetæ, §. XIX. an opus ſit, ut delinquens poenitentiam declaret, antequam in carcerem coniectus & inqueſitio contra ipſum inſtituta ſui? §. XIX. poenitentia interdum effectum non producit, quamvis res in priſtinum ſtatum reduci queat, §. XX. de Crimine parricidii, ubi notatur Carproniſ, §. XXI. ejuſque argumenta pro effectu poenitentia refelluntur, §. XXII. an poenitentia in crimine blaſphemia mitigationem poenæ operetur? §. XXIII. clericis poenitentibus ex mente Canonistarum poenæ remittuntur, §. XXIV. an infamia per ſubſequentem poenitentiam tollatur? §. XXV. quid ſi ebrium delicti in ebrietate commiſſi deinceps poeniteat, §. XXVI. conſuſo diſſertationis, §. XXVII.

## §. I.



Cum caput hoc de effectu poenitentia in cauſis criminalibus inſcriptum ſit: de poenis publicis hic quoque principaliter ſolum agendum erit, atque diſquirendum, utrum illæ propter poenitentiam delinquentis vel plane remittantur, vel ſaltem mitigentur. Interim tamen, cum oppoſita juxta ſe poſita magis eluceſcere ſoleant; hinc non inutile erit, ut de eo quoque caſu nonnulla præmittamus, quando ex delicto non ad poenam publicam, ſed ſolum ad intereſſe priuatum agitur, maxime, cum in præcedenti capite de hoc caſu nondum egerimus.

## §. II.

Delicta, ex quibus ad reparationem damni agitur, ſunt vel *doloſa*, vel *culpoſa*. Utroque caſu damnum eſt re-



reparandum, & si hoc est reparatum, læso actio alia hoc nomine non competit. Liberatur ergo delinquens, si demum post sententiam condemnatoriam satisfecerit læso: ergo multo magis liberabitur, si mox facti eum poeniteat & reparationem perpeffi damni læso sponte offerat. Adscribamus locum ex aureo illustris, dum viueret, Pufendorffii libello *de offic. hom. & ciu. l. 1. c. 6. §. 13.* qui materiam hanc succincte quidem, sed ex fundamento, vt solet, exposuit. Sic igitur, inquit, qui damnum alteri *contra dolum malum* dedit, vltro reparationem debet offerre, testarique malitiam abs se fuisse, ne læsus ipsum pro hoste habeat, ac vicissim hostilia (in statu naturali viuens) intentet. Qui autem *per malitiam* alterum læsit, is non solum vltro reparationem damni debet offerre, sed & poenitentiam sui facti ostendere, veniamque petere. Vicissim læsus reparatione obrenta poenitenti ac petenti veniam dare & cum ipso in gratiam redire tenetur. Nam qui reparatione damni & poenitentia adquiescere non vult, sed vindictam vtique manu (in statu naturali) sibi quæsitum it: nihil aliud agit, quam vt acerbitati animi sui obsequatur, adeoque ex causa superuacua pacem inter homines abrumpat. Quo nomine damnatur etiam naturali lege vindicta, quæ nullum alium finem habet propositum, quam ægre facere illis, qui nos læserunt, eorumque dolore nostrum animum satiare.

### §. III.

Intuitu quæstionis: *an propter poenitentiam poena mitigetur?* Icti Romani, quorum excerpta in Pandectis nobis exhibet Tribonianus, præcipue autem Vlpianus & Paulus, diuersas opiniones fouisse videntur. Adponamus

mus potiores leges de hac materia occurrentes & primo quidem leges, quarum autor est Ulpianus. Ita vero ille in l. 1. §. 25. ff. de pos. si rem depositam vendidisti, eamque postea redemisti in causam depositi: etiamsi sine dolo malo postea perierit: teneri te depositi: quia semel dolo fecisti, cum venderes. Porro in l. 17. §. 1. ff. de edil. edict. Celsus autem fugitivum ait esse eum, qui ea mente discedat, ne ad dominum redeat: tamen si mutato consilio ad eum revertatur. Nemo enim tali peccato (inquit) pœnitentia sua nocens esse desinit. Adhuc in l. 65. ff. de furt. idem Ulpianus: qui ea mente alienum quid contrectavit, ut lucri faceret, tamen si mutato consilio id domino postea reddidit, fur est: nemo enim tali peccato pœnitentia sua nocens esse desinit. Adparet ex adductis textibus, quod Ulpianus nullum effectum pœnitentiæ tribuerit.

## §. IV.

Audiamus nunc quoque Paulum. Ille in l. 11. ff. de in jus voc. quamvis, inquit, non adjiciat Prætor, causa cognita se pœnale iudicium daturum: tamen Labeo ait, moderandam jurisdictionem, veluti si pœniteat libertum & actionem remittat. In l. 4. §. 10. ff. de usurpat. Item Labeo, inquit, si rem, quam apud te deposueram, lucrifaciendi causa vendideris, deinde ex pœnitentia redemeris & eodem statu habeas, siue ignorante me, siue sciente ea gesta sint, videri in meam potestatem rediisse, secundum Proculi sententiam, que & vera est. Porro in l. 19. pr. ff. de L. Corn. de fals. qui falsam monetam percusserint, si id totum formare noluerant, suffragio justæ pœnitentiæ absolventur. Ex his textibus clare, ni fallor, elucet, quod Paulus pœnitentiæ plenum effectum tribuerit.

## §. V.

## §. V.

Iohannes Otto Tabor in *racemat. crimin. definit. ad tit. de furt. racemat. 3. num. 27. & 28.* textus hofce explicare & conciliare intendit. Scilicet ex textibus Vlpiani in §. III. a nobis adductis conſtruebat regulam num. 26. quod in iure non attendatur mutatio conſilii, nec poenitentia effectum aliquem producat. Huic regulæ non aduerſari dicit *l. 11. ff. de in ius voc.* quæ Pauli eſt, diſtinguit enim inter factum *per ſe, ſua natura & toto genere probroſum*, & factum *per ſe licitum*, ſed quod *ex adjuncto* probroſum efficitur, v. g. in ius vocatio eſt factum *per ſe licitum*, ſed ex adjuncto fit probroſum, quando quis perſonas, quibus reuerentia debetur in ius vocat ſine imprecatione veniæ. De facto prioris generis loqui dicit Vlpianum, & de facto poſterioris generis autem Paulum. Porro, Paulum in *l. 4. §. 10. ff. de uſurpat.* de præſenti caſu, ubi de poena ſermo eſt, plane non loqui exiſtimat, ſed ſaltem de *vicio rei* in materia uſucapionis, quod ſcilicet res depoſita alienata & deinde iterum redempta a depoſitario non maneat amplius vitioſa, ſed uſucapi poſſit, interim tamen vitium *perſonæ* adhuc adſit, vt fur puniri poſſit, & per conſequens ratione poenæ poenitentia nullum effectum producat, in quo conſentiebat Vlpianus.

## §. VI.

Hæc quidem aliquam ſpeciem habere videntur; interim tamen Tabor omne dubium nondum ſuſtulit. Dicebat ille: Vlpianum loqui de facto *per ſe, ſua natura & toto genere probroſo*, Paulum vero de tali ſaltem, quod fit probroſum *ex adjuncto*. Sed vero cum Paulus in *l. 19. pr. ff. de L. Corn. de falſ.* de iis loquatur, qui falſam monetam

F

per-

percutiunt: certe hoc factum ad ea, quæ per se, sua natura & toto genere probrosa sunt, referri debet, non vero ad ea, quæ ex adjuncto saltem, siue ex accidenti probrosa fiunt. Ergo, qua ratione Paulus cum Vlpiano hic conciliari possit, ego quidem hactenus nondum percipio.

## §. VII.

Glossa ad l. 65. ff. de furt. (quæ tamen in corpore juris glossato est l. 67.) ita procedit: Si in delictis statutum est (vtor stilo glossæ) in finibus voluntatis & non est processum ultra, licet poenitere & sic poenam euitare, per l. 18. ff. de poen. Si vero processum est ad actum, atque delictum consummatum est & perfectum, non potest postea poenitere, vt euitet poenam, quod probat glossa ex d. l. 65. ff. de furt. simul tamen diuersas exceptiones subiungit. Si vero processit delinquens ad actum non consummatum, nec perfectum, si quidem quod potuit quidem, (consummare) sed noluit: poenitentia locum concedit glossa & in hunc finem allegat l. 19. pr. ff. de L. Cornel. de fals. excipit tamen crimen læsæ maiestatis. Si non potuit, poenitentia nihil operatur, quod probat ex l. 1. in fin. ff. de L. Pompej. de parricid. ibi: & preterea, qui emit venenum, vt patri daret, quamuis non potuerit dare.

## §. IIX.

Verumenimvero nec hac ratione omne prorsus dubium circa textus Vlpiani & Pauli in §. III. & IV. ad ductos, sublatum est. Glossa putabat, poenitentia non esse locum, quando delictum consummatum est atque perfectum, & de hoc casu explicabat textum Vlpiani in

l. 65.

*l. 65. ff. de furt.* Sed vero Paulus in *l. 4. §. 10. ff. de usurpat. & usucap.* etiam de delicto consummato & perfecto loquitur, vbi depositarius rem depositam lucrificandi causa vendiderat, deinde vero ex poenitentia eandem iterum redemerat, & nihilominus poenitentiae locum esse dicit. Nec est, vt hunc textum ad solum vitium rei restringas, vitium personae autem excludas; in ipso enim textu nihil inuenitur, ex quo ea restrictio desumi possit, nec alii textus Pauli illam admittendam esse suadent. Et alias notum est, quod v. g. in materia de furto, vitium rei & vitium personae semper sit conjunctum. Vnde adhuc sum in ea opinione, quod inter Paulum & Ulpianum, vti alias saepe, ita & in hac materia dissensus fuerit, & quod per consequens in legibus illis antinomia apprehendatur.

## §. IX.

Sperabam quidem, omne tandem dubium mihi esse exemturum B. Struuium, in tractatu, quem inscribit: *Gothofredi immo*, siue conciliationem legum in speciem pugnantium, quas Dionysius Gothofredus verbum *immo* usurpans, indicauit; verum & hic mea spes felici euentu destituta fuit. Ita enim laudatus Autor paucis verbis ad *l. 65. ff. de furt.* adnotat: *dubia hic mota soluntur etiam a Gothofredo.* Consului ergo Gothofredum. Hic ita: *sic sentio*, inquit, *in casibus a lege & iudice expressis poenitentiam admitti, alias non admitti.* Porro, addit, *poenitere videtur, qui voluntatem nudam habuit, actu vero abstinuit.* *Eo casu ignoscitur nude cogitationi, l. 18. ff. de poen. l. 19. ff. de falsi. cui non videtur in crimine maiestatis ignosci, l. 5. C. ad L. Jul. Majest.* At vero hic primo

dubium

dubium est, quinam casus a lege expressi fuerint, cum Vlpianum & Paulum haecenus conciliare non potuerimus. Quod vero *judex*, ut Gothofredus vult, etiam casus exprimere possit, in quibus poenitentia mitigationem producere debeat: hoc nobis persuadere non possumus, cum in iudicis potestate non sit, novos poenitentiae effectus effingere, qui nec in lege scripta, nec in consuetudine fundamentum habent.

## §. X.

Valeat ergo haecenus Vlpianus & Paulus: valeat Accursius, pater glossae cum consortibus: valeat Tabor, Struuius, Gothofredus & Gothofredi immo, Nobis nunc dispiciendum erit, quid moribus nostris de effectu poenitentiae in criminalibus statuendum sit. Ita vero procedendum nobis erit, ut nostras adsertiones tam ex legibus recentioribus, quam ex ipsa aequitate naturali, nec non ex consensu DD. celeberrimorum vel saltem illustrationis gratia demonstremus.

## §. XI.

Primo quidem illud expediti juris est, quod poenitentia ab omni poena liberet, quando delinquere volens intra terminos *nude voluntatis* substitit, neque ad actum exteriorem processit, *l. is. ff. de poen.* verum de eo casu in praesenti non est quaestio, sed nos supponimus tale factum extrinsecum, quod delicti nomine insignitur. Deinde hoc quoque supponendum est, quod quaestio non in eo proprie consistat, verum propter poenitentiam delinquentis poena *in totum remittatur*, hoc enim raro, aut vix fiet; sed de *mitigatione poenae* solum quaeritur.

## §. XII.

Quod igitur ipsam rem attinet, plerosque DD. duos ca-

os casus separare video, primus est, quando post subsecutam poenitentiam *res in pristinum statum reduci potest*, alter vero, quando superueniente quidem poenitentia *res tamen in priorem statum*, qui ante delictum commissum erat, *reduci non potest*, v. Berlich. p. 5. concl. 44. num. 70. in fin. Carpzou. prax. crim. quest. 37. num. 38. vers. nam *predicta regula fallit in illis delictis &c.* ibique Bartolum, Baldum, Farinacium aliosque allegatos. Tabor. in analit. expos. art. 164. Const. crim. in subjunct. Respons. epistol. p. 534. in fin. seq. De utroque casu nobis agendum & vterque etiam aliquot exemplis illustrandus erit.

## §. XIII.

In materia *furti*, si non omnes, plerique tamen DD. consentiunt, quod furi poenitenti & damnum per furtum alteri illatum reparanti poena mitiganda sit, præcipue, si est furtum primum illudque absque effractione violenta commissum, Stryk. *Vs. mod. ff. de furt. §. 16.* Hahn *ad Wesenbec. tit. de furt. num. 15.* qui Facultatem juridicam in academia Helmitadiensi ita respondisse testatur. Perinde hic est, siue res furto ablata in natura restituatur, siue ejus pretium ab ipso fure, vel alio ejus nomine domino persoluatur. Imo mitigationi poenæ adhuc locus est, quamuis nec fur pretium illud persolvere possit, nec tertius ejus nomine dominum, qui furtum passus est, indemnem præstare velit, dominus tamen ipse misericordia ductus actionem sibi eo nomine competentem sponte remittat arque delictum furi condonet. Cum vero hæc omnia jam fusius exposita sint a Dn. Præside *in disp. de restit. rei furtiu. cap. 2. §. 2. seqq.* hinc lectorem beneuolum eo remitto, nec actum agere volo. Adde interim adhuc Berlichium *p. 5. conclus. 44. num. 69. seqq.*

## §. XIV.

Illis, qui *diffidationis crimen* committunt, pœna gladii dictari solet, *const. crim. art. 128*. Quod si tamen pœnitentia ducti literas diffidatorias, vel signa inflammationis adfixa reuocent, antequam damni quid ab ipsis datum fuerit: tunc ipsis nonnihil indulgendum est, & remissa pœna mortis diffidatores vel fustigatione, vel relegatione perpetua tantum puniri debent, *Carpzou. prax. crim. qu. 37. num. 35. seqq.* Non obstat, quod in *cit. art. 128*. dicatur, diffidatores gladio feriendos esse, quamuis minas non fuerint executi, unangesehen / ob sie sonst nichts anders mit der That gehandelt hätten; hæc enim verba non pertinent ad casum pœnitentiæ, sed ad eum, si diffidator minas ex aliis causis effectui non dedit, forte quia commoda occasio ipsi defuit, & ipse tamen, si ejusmodi occasionem habuisset, maleuolum propositum suum libenter in effectum deduxisset.

## §. XV.

Aliud exemplum in *receptatoribus hannitorum*. Hi sine dubio pariter ac receptatores aliorum delinquentium pœna aliqua sunt adficiendi, quia pessimum genus est receptatorum, sine quibus nemo latere diu potest; juxta *l. 1. ff. de receptator*. Interim tamen pœnam mitigandam esse existimant DD. in eo casu, si quis hannitum quidem per aliquot dies receptauerit, postea vero pœnitens eum prodiderit ac judici obtulerit castigandum, v. *Tiraquell de pœn. temper. aut remitt. qu. 60.* & post eum *Carpzou. prax. crim. d. quest. 37. num. 37.*

## §. XVI.

Si quis virginem, vel viduam honeste viuentem, libidinis causa rapuit, pœna capitis ipsi infligitur, *l. viii. C. de*



*C. de rapt. virg. constit. crim. art. 118.* Mitigatur tamen hæc pœna, quando raptor personam abductam carnaliter quidem cognoscere potuisset, pœnitentia tamen ductus illud non fecit, sed sceminam iterum dimisit, quod secus se haberet, si raptam libenter quidem cognoscere voluisset, impeditus tamen id commode facere non potuit, de qua materia ulterius conferendus Clarus *l. 5. sentent. 5. raptus. num. 4.* Ant. Faber *in Cod. l. 9. tit. 9. defn. 1. num. 1. in not.* Stephani *ad art. 118. constit. crimin. Carol. aliique a Fabro loc. cit. allegati.*

## §. XVII.

In crimine *incendii* mitigatur poena, si reum poeniteat crimine nondum perfecto & consummato, isque materiam igni concipiendo aptam inflammatamque alicubi depositam iterum auferat, antequam incendium exoriat *Coler. p. 1. decis. 186. num. 2.* Imo, si in ipso actu delicti incendio jam exorto reum vere poeniteat, veluti damnum majus auertendo & homines ad extinguendam flammam conuocando & excitando, ipsi aliquo modo indulgendum & remisso seueriori ignis supplicio eum gladii poena plectendum esse existimat Carpzov. *prax. crim. qu. 39. num. 5.* quod tamen non aliter admitto, quam si delinquentem eo tempore poeniteat, ubi ignis adhuc facili negotio extingui potest, & sic res, saltem quoad maximam partem, in pristinum statum reduci potest.

## §. XIX.

Ita quoque in crimine *falsæ monetæ* poenitentia mitigat poenam, quando illud crimen nondum plene consummatum est, v. Stephani *ad art. 111. constit. crimin.* Huc pertinet *l. 19. pr. ff. de L. Corn. de fals. qui falsam*  
mone-

monetiam percusserint, si id totum formare noluerunt, suffragio iusta poenitentia absoluantur. Hic textus Pauli est & jam supra §. IV. in fin. h. cap. adductus. Quod vero Pauli sententia in praxi magis recepta sit, quam opinio Ulpiani omnem effectum poenitentiae denegantis: de eo, ni fallor, ex haecenus adductis satis constat.

§. XIX.  
 Quæritur vero hic: utrum præcise opus sit, ut v. g. in materia furti, delinquens poenitentiam declarat, antequam in carcerem coniectus & inquisitio contra ipsum instituta fuit, an vero ad mitigationem poenæ obtinendam etiam declaratio poenitentiae postea demum facta adhuc sufficiat? juxta jus saxonicum electorale declaratio poenitentiae fieri debet, antequam delinquens in carcerem coniectus fuit per *const. Elect. 32. part. 4.* ibi: daß derer Diebe halben / so ihres begangenen Lasters zeitliche Reue tragen / und dasjenige / so sie gestohlen / ehe sie zum Gefängnis gezogen / oder beflagt werden / wiedergeben / &c. Verum juxta jus commune poenitentia adhuc effectum habet, licet demum post institutam inquisitionem & factam incarcerationem declarata fuerit, modo tamen ea cum restitutione rei furtivæ conjuncta sit, alias enim res in pristinum statum reduci non posset. Dubia, quæ hic movet Carpzovius, jamdum remota sunt in *cit. disp. de restit. rei furtiv. c. 2. §. 7. seqq.*

§. XX.  
 Nota tamen, quod poenitentia interdum effectum mitigationis poenæ non producat, quando scilicet peculiares circumstantie delictum adgravantes concurrunt, ubi delinquenti non proficit, licet per poenitentiam res in priorem

rem statum reduci queat. Hinc non mitigatur poena, si furtum vel *iteratum*, vel cum *violenta effractione conjunctum* fuerit, v. supra §. XIII. & cit. *disp. de restit. rei furt. cap. 2. §. 14. & 16.* exinde enim singularis delicti atrocitas oritur. Par ratio obtinet in crimine *rapinae*, Carpzou. *pract. crim. quest. 90. num. 58. seqq.* Ita, si in crimine *incendii*, quod ad delicta atrociora etiam refertur, incendiarium tunc demum facti poeniteat, ubi ignis integras aedes jam consumpsit, poenitentia hæc sera poenam non mitigabit, quamuis delinquens damni reparationem offerat. Aliud vero obtinebat in eo, qui re adhuc integra poenitentiam declarabat, vel eo tempore, ubi damnum facile adhuc auerti poterat, de quo casu supra §. XVII. diximus. Loquor de iudice, ministro legum, qui non de legibus, sed secundum leges iudicat. Alia quæstio est, annon summus Princeps etiam in casibus recensitis & similibus poenam alias imponi solitam mitigare possit? quam facile adfirmamus, quia qui leges ferre potest, easdem quoque iterum abrogandi & circa eas dispensandi potestatem habet. Et huc collimat Carpzouius quoque *d. qu. 90. n. 60. quamvis*, inquit, *magistratus superior hoc casu reo veniam largiri facillime queat. Tantumque abest, hoc a me impugnari, ut suasor potius esse velim, quo rigore juris seposito reus delictum deplorans & spoliū restituens poenitentia fructum sentiat, mortis poenam evadendo.* Ad crimina atrociora, in quibus poenitentia mitigationem poenæ non operatur, refertur etiam *profanatio baptismi* in l. 3. C. de apostat. ibi: *lapsis enim & errantibus subuenitur: perditis vero, hoc est, sanctum baptismum profanantibus, nullo remedio poenitentia (quæ solet aliis criminibus adesse) subuenitur.* Secus hoc

hoc alias est in hæresibus, l. 4. §. 6. C. de hæret. ibi: *delicti enim veniam pœnitentibus damus, & recte quidem, quia res in pristinum statum reponi potest.* Intuitu profanationis baptismi ergo singularis dispositio adest. Distinctionem enim Wesenbecii ad tit. C. de apostat. num. 4. inter crimina, quæ facti sunt & quæ non facti, & quod intuitu priorum pœnitentia non habeat locum, ego quidem hætenus non intelligo.

§. XXI. Quæ vero Carpzouius qu. 18. num. 22. seqq. de effectu pœnitentiæ in crimine parricidii adducit: ea, meo quidem iudicio, fundamento juris destituuntur. Ita vero ille: *tertio, inquit, mitigari potest pœna parricidii ordinaria, si quem in ipso actu parricidii nondum consummato facti pœniteat, effectus tamen ex actu precedenti subsequatur; veluti, si mulier interficiens infantem in ipso actu percussione pœniteat & desinat percutere infantem adhuc viuo, qui tamen postea ex percussione moriatur.* Qualis casus, pergit, A. 1625. ad Collegium nostrum fuit transmissus, ubi fœmina quedam nobilis sibi proposuerat infantem suum necare, eoque sine eum tibus compresserat, in ipso vero actu compressionis pœnitentia, quamvis sera, ducta, infantem adhuc viuum ejulantem receperat, exoptans, ut viuus maneret, qui tamen confestim mortuus fuerat.

§. XXII. Mihi verius videtur, quod pœnitentia hoc casu mitigationem pœnæ operari plano non possit. Probo hanc adsertionem ex ipso Carpzouio supra §. XII. citato, quippe qui pœnitentiæ tunc demum effectum tribuebat, quando res in pristinum statum reduci potest. Atqui in casu adlato res per pœnitentiam in pristinum statum reduci non potest, ergo etiam illa mitigationem pœnæ ope-

næ operari nequit. Ergo argumentum, quod Carpzouius *d. qu. 18. n. 24.* a furibus & receptatoribus bannitorum poenitentibus desumit, a diuersis ad diuersa procedit. Nec ad rem faciunt, quæ ille *num. 25.* subiungit: *in casu prædicto, quando foeminam delinquentem delicti poenitebat, infanticidium nondum perfecte & ex omni parte consummatum fuisse, quia poenitentia mortem infantis præcesserat; ipse enim Carpzouius paulo ante factus erat, hanc poenitentiam servam & infantem ex percussione mortuum fuisse.* Ergo quam primum lethale vulnus infanti inflixerat mater, infanticidium statim ex omni parte consummatum erat & sic poenitentia effectum producere non valebat.

§. XXIII. Pergo ad crimen *blasphemie.* In hoc crimine poenam esse mitigandam dicit Carpzou. *qu. 45. num. 66. seqq.* quando delinquens poenitentia ductus sese statim corrigit & blasphemiam reuocat, vel retractat, siue verbis ac gemitu peccatum deplorando, siue pectus, aut labia percutiendo, modo tamen poenitentiae signa mox edat, antequam recesserit de loco, ubi blasphemauit. Exemplum subiicit *num. 70.* ubi nonnemo, qui verba contumeliosa ac horribilia contra optimum Creatorem eumuerat, ab adstantibus reprehensus veniam a Deo pariter ac hominibus petierat, dicens: *Ich habe es gesagt/ vergeb mir es Gott/ ich bitte/ haltet mir es zu gute.* Verum ego valde dubito, quod poenitentia in hoc casu mitigationem poenæ operari possit. Delictum enim est consummatum & per poenitentiam res in pristinum statum reduci non potest. Illud quoque præiudicium, quod *d. n. 70.* subiicitur, non loquitur de mitigatione poenæ iudici permissa, sed saltem de dispensatione Principis, verb. *es wolte demit*

denn die hohe Obrigkeit dem Gefangenen daher/ daß ihm angeregte Gotteslästerliche Reden alsobald leid gewesen/ indem er Gott den Allmächtigen um Verzeihung/ auch daß es ihme diejenige/ die es von ihme gehöret/ zu gute halten wolten/ gebethen/ Gnade erzeigen/ auff den Fall würde er mit Stäupenschlägen des Landes billig verwiesen. Putarem interim, in ejusmodi casibus Principem nimis facilem in dispensando esse non debere.

§. XXIV. De aliis casibus ex hactenus dictis jam facile iudicium ferri potest. Nos tamquam speciale quid nunc subjungimus, quod ex mente juris canonici & Canonistarum, quos vocant, clericis multum indulgeatur, si eos facti commissi poenitear, ipsique ad meliorem frugem redire parati sint. Scilicet clericus, qui delictum commisit, a iudice seculari puniri non potest, nisi is ante degradatus fuerit, Lancellott. *instit. jur. canon. l. 1. tit. 20. §. 5.* actualem vero degradationem in tribus casibus solum admittunt, in crimine *hereseos, c. 9. X. de heret.* in crimine *falsi literarum apostolicarum, c. 7. X. de crim. fals.* & denique ob *calumniam gravem & contumeliam proprio episcopo illatam, c. si quis sacerdotum. 18. caus. 11. qu. 1.* Interim, quamvis ista degradatio actu facta fuerit, degradatus tamen non illico curiæ seculari traditur, sed tunc demum, si incorrigibilitas accesserit, quo pertinent verba *cit. c. 9. X. de heret. nisi continuo post deprehensionem erroris ad fidei catholice unitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium episcopi regionis publice consenserit abjurare & satisfactionem congruam exhibere.* Quamvis vero in *cit. c. 7. X. de crim. fals.* habeatur, quod *sera poenitentia euitare nequeat poenas;* DD. tamen & hic poenitentiae effectum relinquunt. Julius Clarus

rus *in pract. crim. qu. 36. num. 36. & 37.* hac de re ita scribit : & ideo, quamvis clericus commiserit crimen enorme & grauissimum, etiamsi occidisset summum Pontificem, non debet degradari, si paratus sit, se corrigere, sed debet de- trudi in perpetuum carcerem, vel in monasterium. Et mox pergit Clarus: scias autem, quod regulariter cleri- cus etiam depositus non debet tradi curiæ seculari, nisi sit incorrigibilis. Si vero sit incorrigibilis, tunc potest iudex laicus absque alia traditione facienda per iudicem ecclesi- asticum illum punire. An vero hæc omnia in praxi ita obseruentur, dubitare possumus propter ea, quæ idem Clarus *d. n. 36. in fin.* habet, vbi dicit: *sed certe quidquid sit de jure, contrarium obseruatur in practica*, add. num. 40. Re- liqua huc pertinentia jam adnotauit Zieglerus *ad Lan- cell. l. 1. tit. 20. §. 2. verb. actualis vero & l. 3. tit. 1. §. 6. verb. delin- quentem captum detineat*, quæ hic adscribere superuacane- um esset.

§. XXV. Quæritur: *an infamia per subsequentem poenitentiam tollatur?* negatur in *l. 43. §. 4. ff. de rit. nupt.* ubi Vlpianus: *non solum autem ea, inquit, que facit, verum ea quoque, que fecit, et si facere desit, lege notatur: neque enim aboletur turpitudine, que postea intermissa est.* Verum hic textus ad infamiam juris pertinet. Infamia facti per poenitentiam & exinde profluentem vitæ emendationem omnino tollitur, unde nostrates de eo, qui ante ebriofus &c. fuit, jam autem sobrius est, dicere consueuerunt, *et habe sich bekehret* / Dn. Præf. *in vs. pract. distinct. jurid. ac- tit. ff. de his qui not. infam. dist. 1. in fin.*

§. XXVI. Ebrietatem, quæ mentis alienationem inuoluit, a pœna ordinaria liberare, dicunt communiter, verum non aliter, quam si delinquentem cessante ebrietate delicti ante commissi poeniteat, v. Carpzou. *prax. crim. qu. 146. num. 55.* Interim hoc ita simpliciter admitti non potest, sed distinguendum est, utrum quis *ex proposito* ebrietatem contraxerit, an vero *ex improviso* & *præter intentionem* ebrius factus fuerit, vti Noachus & Lothus. *Priori casu* poenitentia effectum producere non poterit, quo collimat das Königl. Preussische erkläretes und erneuertes Mandat wider die Selbst-Nache/injurien / Friedens-Stößeungen und Duelle/ de dato den 28. Junii 1713. art. 13. ibi: Dann ob zwar besand/ daß in den Nechten zu Zeiten und in gewissen Fällen die übermäßig trunckene denen furiosis, mente captis, Wahn- und Unsinnigen gleich geachtet und die ordinaire Straffen in solchem Ansehen mitigiret werden; So sollen doch diejenige dergleichen mitigation und Einderung nicht zu gewarten/ noch sich damit zu flattiren haben/ welche vorsegllicher Weyse dieses Laster begeben und sich dadurch zu dergleichen brutalitäten u. unanständigen verbothenen Händeln desto mehr auffmuntern und erhitzen. Aliud vero de *posteriori casu* dicendum, si delinquentem delicti in ebrietate commissi serio poeniteat, quo pertinent verba sequentia in citato Edicto Potentissimi & sapientissimi Regis; Dafern aber jemand in dergleichen excess unversehener und zufälliger Weyse/ auch wol gar wider Willen und Vorsatz verfallen/ sonst aber darzu nicht geneigt seyn/ sondern vielmehr einen stillen und Tugendhaften Wandel führen/ auch über dasjenige/ was bey der Trunckeneit und da er von seinen Sinnen nichts gewußt/ noch sich seiner Vernunft recht gebrauchen können/ vorgegangen/ eine rechte hergliche und ernstliche Reue bezeigen/ mit dem Beleidigten auch vorhin keine Feindschaft gehabt haben solte; So kan zwar auch in diesem Fall der Delinquent nicht von aller Straffe bestrayt seyn/ wie behalten uns aber bevor/ solche nach Beschaffenheiten der Umständen



stände/ andern zum Exempel, zuschärffen und nach Befinden darunter gnädigst zuverordnen.

§. XXVII. Hæc sunt beneuole Lector, quæ de effectu poenitentiae tam in ciuilibus, quam criminalibus causis, & reuera de materia amplissima in praesenti adferre volui & potui. Lege & judica. Plura suppeditabunt illustris Dn. Coccejus in *disp. de jure poenitendi in contractibus* & quæ inde *jure gentium dantur, conditionibus*, nec non B. Struuius in *disp. de poenitentia & voluntatis mutatione*, quæ duæ disputationes nobis tunc demum adlatæ fuerunt, postquam hæc nostra jam abfolueramus.

SOLI DEO GLORIA.



ADDI-

## ADDITAMEMTVM.

**N**otabilis casus apud Lehmannum *in chron. Spirens.*  
 l. 4. c. 12. p. m. 310. habetur de remissione pœnæ ab  
 Imperatore propter pœnitentiam delinquentis facta.  
 Ita vero Lehmannus: An Kayser's Caroli V. Hof hat sich einer vom  
 Adel an eine Jungfrau in der Kayserin Frauenzimmer verliebt und  
 durch freundliche Veredungen dieselbe verführt und geschwängert. Als  
 dem Kayser der Handel vorkommen/hat Er sich hefftig über die Ehren-  
 Verletzung seines Frauen-Zimmers entrüst/ den vom Adel zu behaff-  
 ten/ und mit dem Schwerdt/ andern zum Exempel hinzurichten be-  
 sohlen. Dem Verhafften ist der Unfall/ darin er durch die blinde Lie-  
 be verleit worden/vermassen schmerzlich zu Herzen gegangen/ daß sich  
 seine ganze Gestalt in einer Nacht verändert/ und die eine Seite des  
 Kopfs/ darauf er gelegen/ ganz grau worden. Demnach ihm Wor-  
 gens des Kayser's Urtheil soll. n vermehrt werden/ haben die/ so zu ihm  
 gekommen/ wegen der urplöglischen Veränderung dergestalt an seiner  
 Person gezeiffelt/ jedoch das Urtheil eröffnet/ darüber derselbe sich  
 nicht so hoch entsetzt/ als über der zeitlichen Schand/ damit er sein Ge-  
 schlecht beschmigt/ Neu und Leyd getragen. Die abgeordnete haben  
 dem Kayser wieder andracht/ wie sie den Verdamnten beschaffen be-  
 funden. Wiemol Kayserl. Majestät die zugefügte Schmach sehr  
 schmerzlich empfunden/ iedoch haben Sie dafür gehalten/ daß dersel-  
 be durch diese Neu über seine Mißhandlung starck genug gebüßt/ und  
 gute Anzeig der Besserung erscheinen lassen/ verohalben ohne ferne-  
 re Straffe/ als allein daß er des Hof's sich müßigen solle/  
 wieder auf freyen Fuß kommen  
 lassen.








DIS





17.  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*DE*  
EFFECTV  
POENITENTIAE,  
ET IN CIVILIBVS ET IN  
CRIMINALIBVS CAVSIS,

QVAM  
DEO T. O. M. ADNUENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO CAROLO,  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,  
EX DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS  
PRAESIDE  
DN. JACOBO FRIDERICO  
LUDOVICI,

J. U. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

PRO LICENTIA

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,

in Auditorio majori horis ante- & pomeridianis  
d. Maji. A. R. S. MDCCXV.

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

IOHANN. SIGMUND SCHÜZ,  
MEMMINGA SVEVVS.

HALAE MAGDEB. Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.